Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 207
Quelle:
Copyright:

ricordia — —, quae habentur in edit. *Cap.* III. Itaque plus quam V. *Capitibus* mulctatus est, cetera probae et cum Editis conspirantis lectionis.

CXXXV.

R. 489 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis distinctus est, ut e calce petendum, *Magni aurelij cassiodori senatoris jam domino prestante conuersi exposicio psalmorum.* Tò *Conuersi* ex aevi usu jam Coenobium *Vivariense*, quod ipse construxerat, ingressi intellige. Prima hujus Operis Pars, nescio, quod fatum habuit; altera enim praesens incipit: *Psalmus 91. Psalmus cantici in die Sabbati*, atque hinc usque ad Psalterii finem integre decurrit. Initium est: *Psalmus cantici commonet nos vt in vniuersis actibus nostris divinitati gratias referre debeamus* &c. Lectio, si cum editione Opp. omn. *Garetiana Rotom.* 1679. T. II. p. 311. conferatur, proba est demtis levibus quibusdam differentiis, puta sub ingressum *opera spiritualia* pro *operas spirituales*, *omnem viam suam* pro *vitam*, *obseruancias eius* pro *obseruantiam*, *opera nostra* pro *operatio nostra*, *iudicatur adiunctus* pro *videatur* &c. sed mox lapsus est Librarius *quia trinitatem diuinam* pro *quaternitatem diuinam* scribendo. In calce haec notavit ad historiam: *Temporibus Justiniani Augusti Cassiodorus apud Vrbem Romanam claruit. Hic primitus consul, deinde senator, ad postremum vero monachus extitit. Hoc etiam tempore dyonisius* (Exiguus) *abbas in vrbe constitutus pascalem calculum composuit, tuncque apud constantinopolim Priscianus grammatice artis profunda rimatus est, tunc quoque nichilominus arator Romane ecclesie subdyaconus apostolorum actus versibus exarauit. Hec itaque in longobardorum gestis scripta sunt.* Ita sane, sed paullo uberius, apud *Paulum Diac.* L. I. c. 25. in *Muratorii Scriptt. Rer. Ital.* T. I. p. 421.

CXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 128 Folior. 318. f. max. per duas columnas probe et diligenter exaratus, rubricisque insignis, quem, fronte teste, Collegio Ducali quondam dedit *Honorabilis Vir Dominus Johannes Beyzz de Franleytten* oppido *Styriae*, complectitur vastam *Psalterii* et *Canticorum* Biblicorum Expositionem, cujus Autorem demum manifestat Clausula miniata Operis, quae sic habet: *Explicit Glosa solempnissimi Doctoris Honorij* (Augustodun.) *solitarij super Psalterium a Johanni Presbitero Cappellano in Rupprechczhofen scripta ibi idem Anno ab incarnationis domini Millesimo Quadringentesimo Quarto. In die Sixti pape. Deus propicius esto mihi peccatori.* Cum mox memoratus Pagus ad Carthusiam *Gemnicensem* infer. *Austriae* pertinuerit, et *Bern. Pezius* T. II. *Thes. Anecd. col.* 95. *Expositionem selecto-*